FREMAUT

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
COHÆRENTIA PRAXEOS ET THEORIAE IN RE MEDICA.

23529/P

QUAM

DIVINO FAVENTE NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. GERARDI NOODT,

J.U.D. ET ANTECESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu

& Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,

ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

DANIEL FREMAUT, Gedano Boruſſus.

Ad diem 29. Junii, horâ locôque ſolitê.



E Macro ex dono Authoris.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M DCC V.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

306224

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE COHÆRENTIA PRAXEOS ET THEORIÆ IN RE MEDICA.

Theſis I.

CORPUS humanum machina eſt ex partibus *ſolidis* & *fluidis* conflata, quæ bina corpora cum vario modo in ſe invicem agant, varii inde effectus oriuntur in œconomia animali. *Solida* enim mechanicorum inſtrumentorum vices gerunt, adeo ut in pulmonibus follium, in muſculis funium, in glandulis filtri cribrique, in corde préli, in venis arteriiſque canalium inſtar *liquida contenta* alterent, premant, moveant, ſeparent, miſceant. *Liquida* itidem mole, figura, gravitate, ſpiſſitudine, fluiditate, motu, & vi impel-

lendi in vaſa ſua & canales quibus coercentur, varios producunt effectus. Harum partium nonnullæ cum ſummæ ſint teneritudinis, cumque tantæ ſit debilitatis machina, ut aſſumto quottidie alimento, & ſomno itidem refici debeat, liquet inde, à leviſſimâ cauſâ eam aliquando magnopere affligi. Eſt itaque nobis animus perluſtrandi *ſtatum* ejus *naturalem*, ubi viget & floret; tum, quomodo deflectat hinc in *præternaturalem* ſeu morboſum, & quænam inde *phœnomena* exſurgant, denique, quos *eventus* ex phœnomenis illis augurari liceat; & ultimo videbimus, quænam *remedia* reſpondeant cuicunque morbo & quomodo illa tum Theoriæ morbi tum etiam Practicorum obſervationibus ſatisfacere debeant.

II.

Omne eſculentorum & potulentorum genus quo magis ſubactum, diviſum, attenuatum, quo fluidius redditum, eò facilius aſſimilatur partibus humani corporis. Ut itaque natura abſolvat id, quod præparationes, arte factæ & foco noſtro culinari familiares mutare inceperunt, finxit Deus in primo ore *dentes inciſores* quibus arripimus Cibaria & tanquam cultris quibusdam divellimus, & conſcindimus. Motu maſticatorio tum comprimitur bolus & arctatur, rejicitur in latam morarium ſuperficiem ibique conteritur, quemadmodum in molendinis, cerealibus contingit. Affluit tunc ex ſalivalium rivulis liquor tenuis, aqua, ſale & ſpiritu impregnatus, qui maſſulæ partibus ſeſe inſinuans eas ſeparat, majoremque ſolutionem producit, haud diſſimili ratione ac fit in formanda paſta, cui flores cereviſiæ admiſcentur. Hoc facto lingua Spathulæ inſtar bolum ad faucium orificia detrudit. Epiglottide depreſſâ, & laryngis musculis introitum permittentibus, tandem in ventriculi cavo tanquam ollâ quadam ad majorem digeſtionem tota maſſa reconditur.

III.

Tunica ventriculi interior glanduloſa, altera muſculoſa eſt. Tunica glanduloſa liquidum eructat ſalivæ analogum, attenuandique virtute præditum, muſculoſa omnem ventriculum contractionis & relaxationis motu perpetuo exercet. Diaphragma motu reſpirationis valido comprimit eundem. Adjacentia viſcera calorem naturalem fundentia ventriculi functionibus auxiliantur quodammodo. Quicquid ergo heic continetur, paſtæ inſtar pinſitur, contunditur, diluitur, in minimas

partes,

partes dividitur, adeò ut natura præſidiis mechanicis videatur uti, quemadmodum ferè pharmacopœi, qui in parandis emulſionibus oleoſa miſcent aqueis & continua contritione liquorem album, dulcemque lactis inſtar producunt. Cum itaque eodem fere modo alimenta in ventriculo alterentur, abeunt quoque in liquorem ſubalbum, tenuem, atque ſic *chyli* prima Stamina conduntur. Hæc maſſa jam diluta fiſtulam inteſtini *duodeni* ingreditur, cui eadem ferè ac ventriculo fabrica, idem ferè officium eſt, eo tamen cum diſcrimine ut ſitus ejus obliquus longiorem nectat moram chyloſis partibus. Accedunt heic tria nova digeſtionis adjumenta, *bilis* ſcilicet *veſicaria*, *hepatica*, & *ſuccus Pancreatis*. Bilis natura quaſi Saponacia eſt ex ſalinis & oleoſis partibus conſtans, ſuccus verò Pancreaticus dilutior & aquoſior ad ſalivæ indolem proximè accedit. His itaque ſimul conſideratis, additisque motu inteſtini compreſſivo, & motu liquidorum à tergo preſſorum, major fit particularum ſeparatio, quæ proinde fluidiores redduntur, & aptiores ad ſubeunda oſcula vaſculorum lactiferorum; cumque hæc ſponte hient laxatis inteſtinorum fibris ſicque liquidum chyloſum abſorbeant & imbibant, mox rurſùm arctentur clauſis ſimul eorum valvulis, cùm denique ingrediantur partes Chyloſæ lacteas ſecundi generis, ibique à lympha tenui diluantur, patet, quantam in hoc itinere patiatur chylus macerationem, quantam ſeparationem ſufferre debeat. Qui hinc ex communi alveo receptaculum chyli dicto lento gradu per canalem thoracicum delatus, tandem ruit in venam axillarem ſiniſtram. Dilutus itaque ſic & defœcatus latex colorem ſuum lacteum ſenſim deponens purpureum induit; nam per totum hoc iter ſemper ei admiſcetur aliquid liquidi circulatione jam ſubacti; & accedentibus inſuper bile liquidoque pancreatico (quæ Salinis, oleoſis, aquoſis partibus conſtant) oritur purpureus color.

IV.

Chylus hucusque divectus, cumque ſanguine venoſo miſtus, per venam Cavam aſcendentem, in auriculam dextram, atque hinc in ventriculum cordis dextrum irrepit; hinc ab embolo cordis vi intruditur in arteriam pulmonalem, regreditur per venam ejus in auriculam ſiniſtram, ſicque in thalamum cordis ſiniſtrum infunditur. Finxit heic divinus pollex tres valvulas tricuſpidales ſanguini aditum ex auricula dextra in eundem thalamum permittentes, regreſſum impedientes. Idem oſ-

ficium eſt tribus illis pelliculis ſigmoidæis orificio arteriæ pulmonali adſtantibus, itidem binis mitralibus, ventriculo ſiniſtro, & tribus ſigmoidibus arteriæ magnæ principio affixis. Ab hac igitur auricularum, & ventriculorum valida contractione, & à motu elaſtico arteriæ pulmonalis tota cruoris maſſa concutitur, divellitur, atteritur, à contactu removetur, hincque tenuior ejus textura evadit, & apta redditur ad omnes ſecretiones, etiam ſubtiliſſimas ſubeundas. Ubi atreriam Aortam ſalutaverit ſanguis e corde tendens, ex trunco ejus aſcendente feruntur rami, qui per totum caput diſperguntur, truncus verò deſcendens emittit ramos per omnes thoracis, abdominis, & artuum partes diſperſos. Idem intelligendum de vena Cava. Ubi itaque ſanguis arterioſus prædicto modo usque in arteriæ extremitatem premitur, inde venam ingredi cogitur, heic ubi ſe rurſus refecerit, cordi iterum infuſus per circulum curſum ſuum perennat.

V.

Qui pro partium varietate ad quas defertur, varias patitur mutationes pro varia nempe vaſculorum ſtructura, quibus irrepit, variaque ſic in viſceribus ſecernuntur liquida, ut, in cerebro Spiritus Animalis, in hepate bilis, in pancreate ſuccus pancreaticus, in teſtibus ſemen, in ore ſaliva, &c. Quæ omnia cum uno operandi modo fiant; omnes has ſecretiones generali quadam deſcriptione complectemur.

VI.

Omnia viſcera ſecernunt ſuos humores ope glanduloſi cujusdam corporis, exceptâ lymphâ, hæc enim peculiaribus ſuis vaſculis gaudet. Arteriarum, venarum, & lymphæductuum extremitates, quæ villis fibrarum ſuarum elaſticis telæ inſtar mitè inter ſe contextæ, membranæque tenui incluſæ, ita ut hæc omnia quaſi inglomerem convolvantur, ipſam conſtituunt glandulæ machinam. Premitur (quod ſupponimus) liquidum arterioſum in ultimos arteriæ fines; hi quoniam ſunt anguſtiſſimi, fortiter reluctantur, unde oritur partium liquidarum colliſio, divulſio ramorum rigidiorum, craſſiorumque à tenuibus ſeparatio. Partes ſanguinis craſſiores recto itinere venis inſinuantur, dilutiores verò obliquè deviant & glandulæ oſculis ejusque cavitati ingeruntur. Heic arctè coercetur liquor, donec à villo glandularum contractili,

tractili, humoribusque à tergo urgentibus ex glomeris cavo aut in communem alveum aut in peculiaria emiſſaria excutiatur. Cumque omnes arteriarum extremitates eandem obtineant figuram, rotundam ſcilicet, eo tantum diſcrimine ut capacitate varient pro varia vaſis magnitudine, & pro vario motu & conſiſtentiâ liquidi influentis, ſequitur, tranſcolationem tam diverſorum liquorum hinc tantùm dependere. Sic e.g. Vena Portæ recipit ſanguinem venoſum ex toto ferè abdomine; hic planè aliis conſtat moleculis alioque motu movetur quam arterioſus ſanguis in partibus reliquis. Venæ portæ ſtructura planè alia eſt quàm arteriarum, licet ſit rotunda, hinc oſculorum ejus expanſiones particulas ſanguinis alius plauè indolis emittunt & ingenii quàm arteriarum oſcula. Quæ omnia ſi applicentur ſtructuræ variorum viſcerum, planum erit, unde diverſitas oriatur Secretorum humorum.

VII.

Arteria Aorta aſcendens, quia cordi proxima eſt, continet ſanguinem maxime mobilem ſubtilioremque. Hic dum per Arterias fertur Carotides & cervicales, uſque ad Corticem Cerebri venit, in glandulis corticalibus ſecernitur *liquidum tenuitate* omnia liquida humani corporis ſuperans, hocque per fibras medullares deinde ducitur in nervos & medullam oblongatam. Quoniam omnis muſculus ex infinitis fibris carneis conſtat, & quælibet fibrilla inſenſilem habet cavitatem, omneſque ortum ducunt à medullari erebri ſubſtantia, patet, quomodo à liquido hoc influente venter muſculi dilatetur tendinibus ejus ſimul adductis, & relaxetur iterum refluente hoc liquido Spirituoſo à nutu voluntatis, quod dum fit *motus animalis* in machina noſtra exercetur. Idem hoc liquidum dum moratur in nervo aliquo, cui externa corpora applicantur, *ſenſum* excitabit in ſenſorio communi varium, prout vario modo eſt figuratum corpus quod nervum tangit & prout diverſo motu eum afficit. Arteria Aorta deſcendens ubi diaphragma perforavit, omnia viſcera copioſa ſuâ ſobole largiter perfundit, primo lienem alluit, dein omento & paucreati ſurculos largitur, tum hepar intrat & meſenterio proſpicit, dein deviat & emulgentes in renes deponit, tandemque veſicæ & partibus genitalibus inſeruntur rami ab emulgentibus & Magna deſcendente orti.

VIII. Quando

VIII.

Quando verò (ut morborum nunc variorum explicemus origines) *Salivæ* partes Spirituoſæ avolant remanentibus craſſis & terreſtrioribus, obducuntur & infarciuntur quaſi oſcula ductuum Salivalium nullaque tunc titillatio fit in tunica muſculoſa fauces internas cingente, nulla famis, ſed ſitis maximæ ſenſatio oritur; ab hac enim ariditate, faucium fibræ criſpantur & moleſtè afficiuntur. Quod ſi contingat aut in febribus ardentibus, aut in hydrope, aut in alio morbo, *ſitis morboſa* à Medicis vocatur. Si magna pituiræ viſcidæ moles oppilavit ventricnlum, glandulæ tunicæ interioris obſtruuntur, liquor inde Secretus Salinis ſuis partibus ſpoliatur, unde agere non poteſt in alimenta, ſed illa manent cruda & ventriculo moleſta ſunt, hinc ille expanditur, fibræ ejus plus ſolito tenduntur, à tenſione moleſta oritur nauſea & appetitus proſtratus; tandem longâ morâ putrescit, hinc ructus & borborigmi; quod ſi accedat acrimonia, (quam plerumque putredo inducit) vellicatur totus ventriculus, ſeſe contrahit contrario motu, & magno niſu ejicit id quid moleſtum erat. Quod mali genus *anorexia* eſt, & pro vario morbi grad, *Diſpepſiæ*, *concoctionis læſæ*, aliaque nomina ſortitur. Quando pituitæ huic acidi & auſteri humores junguntur ita ut prævaleant, plus ſolito irritatur ventriculus, ſe contrahit majori niſu, latera ejus perpetuo affricta ſeſe vellicant, & oritur famis ſenſatio. Quia verò à vitioſis humoribus arroduntur cibi, non digeruntur, & quia majori copia aſſumuntur quam ut digeri queant, hinc immutati vomitu ejiciuntur, quem affectum ſub *Famis caninæ* nomine intelligunt Medici. Quando illa acrium humorum cocoethes blandiori Stimulo afficit fibras ventriculi, Spaſmum ejus producit qui *Singultus* dicitur. Quando ſuperius ventriculi orificium ab acri liquido roditur, doloris ſenſum infert qui *Cardialgia* vocatur.

IX.

Inteſtina ubi lento muco obducuntur, eorumque latera quaſi luto quodam oppilantur glandulæ ſecretotiæ, ſiſtitur motus eorum periſtalticus & oritur *alvi adſtrictio.* Hinc quia totum chylificationis negotium depravatur, cibique manent indigeſti; pondere ſuo alvum ad excretionem invitant, & excernuntur eadem ſubſtantia quemadmodum aſſumti fue-

fuerant; & *Lienteria* tunc audit morbus; aut etiam *Cœliaca paſſio*, quando paululum immutati redduntur. Quod ſi humor acerrimus huic pituitæ ſocietur, aut ſi alia vis ſtimulans adſit, quæ ad ſecretionem præternaturalem inteſtinorum glandulas cogit, oritur *Diarrhæa*. Quoniam verò hæc acrimonia corroſivorum ſæpe naturam induit, ſerræ inſtar cuſpidibus ſuis lacerat teneram inteſtinorum texturam; hinc inflammatio, tandemque ulcus, cruentæ & frequentiſſimæ dejectiones, dolor-tormina, virium imbecillitas adſunt, & *diſſenteria* tunc vocatur affectus. Si inteſtinum Colon præcipuè mordeat hæc acredo, conſtringitur illud præternaturaliter & dolorem terebræ perforantis inducit, hinc vomitus copioſus, & quia cœtera inteſtina in conſenſum veniunt, alvus pertinaciter occluditur. Sique hæc diutius durent, inflammatur inteſtinum & adeſt febris. Quam afflictionem, *Colicam* nuncupant. Quando hæc conſtrictio modum ſuperat, ita ut convolvantur inteſtina, & motus periſtalticus invertatur maximo niſu, vomitus oritur fecum alvinarum, qui *Iliaca paſſio* aut *Convolvulus dicitur*.

X.

Pituita hæc in locis glanduloſis omnium facillimè tragœdiam ſuam excercet; & dum ibi hæret, glandularum emunctoria præcluduntur, indureſcunt, nulla fit Secretio, nulla contractio. Quod ſi fiat in glandulis hepatis, meſenterii, lienis, ſequitur chylificatio læſa; hincque dein tota ſanguinis maſſa contaminatur, craſceſcit, vigorem fluoremque amittit, Spiritus generantur craſſi, minus mobiles, unde laſſitudo, pallor, reſpiratio difficilis, anxiêtas præcordiorum. Atque ejuſmodi ægri *Cachectici* appellari ſolent. Si idem malum in teneris uteri vaſculis hæret, eadem adſunt Symptomata, ſed morbi nomen variat, dicitur enim *Chloroſis*. Si putrefit in utero hæc materies, alcalinas volatiles particulas generat, quæ dum ſtimulant nervoſas uteri partes ad contractionem Spasmodicam, in conſenſum inde trahuntur cœteræ corporis partes & ſimul convelluntur, imprimis verò caput, hinc vertigo, lypothymiæ, aliaque innumera mala. Quæ ſymptomata dum in ſexu ſequiori fiunt, *paſſio hyſterica* morbus vocatur. In viris autem, ubi in glandulis viſcerum abdominis hæc minera hæret, eadem quidem obſervantur phœnomena, morbi nomen verò mutatur, & nuncupatur *malum hypochondriacum*. Aliquando in cachecticis diu moratus eſt ejusmodi lentor, adeo ut plane enervatus ſanguis contactum glo-

globulorum rubrorum conſervare nequeat, ſed tota ejus textura in ſerum mutetur. Hoc aliquando inter cutem hæret, aliquando teneriora vaſa diſrumpit & in abdominis cavum depluit tanta copia ut fluctuationes ejus æger ſentiat ſingulis corporis motibus. Pedes intumeſcunt & veſtigia relinquunt digiti impreſſi, ſunt enim magis remoti à corde, adeoque minori ſanguinis preſſione afficiuntur. Sitis adeſt inexplebilis propter humidi Salivalis defectum, craſſitiem, lentorem. Quicumque ergò ægri hæc patiuntur, *hydrope* laborant.

XI.

Quæcumque cauſæ ſanguinis motum énormiter augent, efficiunt ſtagnationem in vaſis, propter eorum reſiſtentiam; & quidem in ultimis canalium ſanguiferorum finibus, vel in glandulis etiam in quibus ſcilicet hi canales terminantur, juxta §: VI. Quæcunque itaque cauſæ, ita diſponunt vaſcula, ut premantur, nimis extendantur, criſpentur, rumpantur, hujus culpæ accuſari poſſunt; hinc enim liber humidi transfluxus impeditur, impedimenti hujus cauſâ cumulantur particulæ ſanguinis, quæque priùs liberè manaverant, nunc molis inſtar ſibi invicem incumbunt, & cùm à novo affluente liquido continuo premantur, aucta ſcilicet cordis contractione, creſcit *tumor*, tenditurque in immenſum tunica ſanguinem continens, ita ut ipſæ rubræ ejus Sphærulæ *tranſluceant* & tumor tactui reſiſtat. Adeſt *calor* urens, quem ſummus humorum motus ramentorum attritione efficit, dumque in obſtructo canali ſingula cordis vibratione recipitur cruoris impetus, *pulſatio* fit in parte affecta. Neque *dolor* abeſſe poteſt propter tenſionem tunicæ arterioſæ, quam innumeri nervorum ſurculi perreptant, quique dum irritantur, acceleratur pulſus, æſtuat ſanguinis maſſa, cum vigiliis, febre, delirio, aliiſque ſymptomatibus. Quod malum in genere *inflammatio* denominatur. Quando jam ejuſmodi tumor occupaverit durum aut tenue cerebri velum, ex velociſſimâ illâ liquidorum circulatione generantur Spiritus majori copia & impetu, hinc delirium; à tenſione meningum moleſta; intolerabilis capitis dolor, à delirio rationis læſio; à tenſione membranarum & rareſcentia liquidorum, oculi rubicundi, feroces, horrendusque vultus. Hinc *Phrenitis* dicitur. Quando hæc inflammatio conſpicitur in muſculis laryngis & pharingis, deglutitio doloroſa & reſpiratio difficilis adeſt, lingua tonſillæque tument, ſtrangulationis ſenſum ægri percipunt, potusque

ctusque per nares redditur, & *Angina* eſt. Ubi verò hoc incendio pulmones laborant, reſpiratio fit doloroſa, erecto corpore, frequens & parva; dilatari enim pulmones nequeunt propter eorum diſtenſionem præternaturalem, ortam ab inflammatione. Tuſſis affligit propter irritationem nervulornm à furente liquido. Dolent mammæ totumque pectus & præcordiorum adeſt anxietas ex conſenſu harum partium & viciniâ. Huicque morbo *Peripneumonia* nomen eſt. Cùm eadem ferè adſunt Symptomata, dolor autem in uno aut altero latere hæret, *Pleuritis* vocatur. Denotat enim inflammationem pleuræ, membranæ coſtas internas ſuccingentis. Quando in dextro hypochondrio adeſt tumor, illeque ad tactum dolet; difficilis reſpiratio, vomitus bilioſus, decubitus ſupinus facilis, ad latera difficilis, color icteritius per totum corpus, urinaque flammea eſt, & febris adentiſſima affligit, *hepar inflammatum* eſſe, conſtat. Quando dolor & tumor ſentitur in ſiniſtro hypochondrio, illeque interdum ad diaphragma & ſiniſtrum humerum extenditur, quando pulſat idem hypochondrium, vigentque cœtera inflammationis Syptomata, *Lienem* tum pati certum eſt. Aliquando febris languida & lenta affligit abſque graviori Siti, cum dolore gravativo magis quam pungente ſubter ventriculum, dejectiones adſunt chyloſæ & ichoroſæ abſque notabili dolore, & *meſenterium* inflammatum tunc eſſe obſervationes docent. Nonnunquam in regione renum ſentitur dolor pulſans, qui ingraveſcit ubi ſe erigere aut pedibus inniti tentat æger, crus ejuſdem lateris ſtupet, urina difficillime & cum ardore excernitur, nauſea & vomitus cum febre acuta malum comitantur, & dicimus tunc *renes* eſſe *inflammatos*. Si dolor, rubor, tumor, calor, regionem uteri oucupent, & menſium loco ichores fœtidi excernantur, tumeantque uteri labia, hanc partem *inflammatam* eſſe judices.

XII.

Cùm nimis diu diſtenditur pars inflammata quæcunque, rumpuntur tandem ejus vaſcula à liquido acri & cum magno impetu irruente, ſicque effunditur id in membranulas ſenſim emorientes, & tum humida tum ſolida in loco humido congregata & coercita, putredinem contrahunt; unde pus ſeu maſſa quædam gelatinoſa, chyloſa, alba, alcalina aut etiam acida, & dicitur tunc, inflammationem *in ſuppurationem* eſſe verſam. Quod ipſum ſi contingat in peripneumonia ſeu pleu-

ritide, primò rigor oboritur, quoniam ab acrimonia puris vellicantur pulmonum partes, dolor pungens & urens degenerat in gravativum; quia fibrillarum tenſio remittit, fluctuationem ſentiunt ægri, quia nonnullæ partes ſolidæ in fluidas degenerarunt, reſpiratio difficilis eſt propter circumfuſum pus in pulmonibus, bronchiasque obſtructas; & febris lenta perpetuo languore ægrum afficit. Hocque mali genus *Empyema* eſt. Quando verò ejusmodi purulenta materies vel propter craſſitudinem ſuam, vel propter tunicæ ſuæ firmitatem non effunditur, ſed ſine noxa per aliquot annos tanquam in cyſtide repoſita manet, *Vomica pulmonis* audit. Pus extravaſatum verò ubi cum circulatione humorum omnes corporis partes pervagatur, febrem lentam continuò alit & quaſi eam nutrit; ex febre veniunt ſudores nocturni & genarum rubor manuumque calor poſt paſtum, à perpetuo calore & puris acrimonia nutrimentum conſumitur, hinc capillorum defluxio & ſumma macies per totum corpus, & tandem mors. Atque in ejusmodi caſu *Pthyſin* adeſſe enunciamus. Hæc purulenta ſanies in quocunque ulcere niſi cito removeatur & ulcus abſtergatur, latiùs ſerpit vaſorum deſtructio, in putredinem convertuntur vicinæ partes, ex tumore rubro oritur atrocinereus, lividus, nigrescens, calor partis degenerat in algorem, horror, tremor, animi deliquium adeſt, & *gangrænâ*, *Sphacelove* pars affecta dicitur. Quando verò partes carnoſas, musculoſas, humidas, ulcus diutius occupaverit, ſaniesque altius ſit impreſſa, acredine ſua tandem effingit foveas, quarum latera callo duro obducta fontem in medio ulceris relinquunt, ex quo ſtillat pus acre, volatile alcalinum, unde *ſinuum & fiſtularum* ortus. Horum ſinuum labia quo ſubtiliorem, acriorem, fœtidiorem illuviem ſtillant, quo ſunt magis tumida, horrenda, eo citius ambientes partes latè depaſcuntur, hinc aliquando ingentes hæmorrhagiæ; à læſione ſcilicet vaſis cujusdam magni momenti; hinc dolor ingruit intolerabili modo excrucians; febris, convulſiones, lypothimiæ adſunt, & *Cancer* nuncupatur morbus hic ipſa morte funeſtior.

XIII.

Nonnunquam evenit ut ſanguis absque ulla prægreſſa ſtagnatione, nimio motu per canales ſuos fluat & ſummopere rarescat, adeo ut in villorum interſtitia ſe inſinuet, illa perfringat & effundatur. Hæcque ſanguinis eruptio ubi in aspera arteria obſervatur, præcedit titillatio; à blan-

à blanda nimirum fibrillarum tenſione ; tum ſanguis cum ſcreatu effunditur, quia ex bronchiis aere exſpirato excernitur, ſpumescens & magna copia exſpuitur, adeo ut ſuffocationem metuant ægri, propter cordis preſſionem & rarescentiam ſummam in pulmonibus ; tuncque *Hæmoptoe* ægrum laborare dicunt. Quando calculus asperitate ſua, aut diuretica fortiora ſpiculis ſuis ſolvunt teneram renum texturam, ſanguis excernitur cum urina mixtus, cui affectui nomen eſt *Mictio cruenta.* In utero aliquando eodem hoc modo excernitur ſanguis immodica inundatione tempore fluxus menſtrui. Hinc ab effuſo nimis liberaliter liquido vitali pauci generantur Spiritus, læduntur ſolidorum & fluidorum mutuæ actiones, collabaſcunt vaſorum latera remittente eorum elaſticitate, unde tandem ingruunt multæ malorum Iliades, cordis anxietas, Syncope, Pallor, Cachexia, Hydrops, Atrophia &c. dicimusque, tunc ex *immodico menſtruorum fluxu* hæc contigiſſe.

XLV.

Quando nervorum filamenta à Spiritibus debito modo turgida tenſaque liberum transfluxum illis permittunt ad ſenſorium commune, refluxumque hinc ad tubulos extimos, tunc *ſentire* & *ſe movere* machina noſtra valet. Hac verò communicatione intercepta, perditur motus & ſenſus. Pituita ſcilicet ubi vaſa adimpleverit, aut plethora, (quæ itidem ſanguinis motum imminuit, hincque ſtagnationes & obſtructiones efficit), ubi regnaverit in corpore humano, villi & chordæ musculorum flaccescent tandem ; vaſa ſanguifera quia turgent humido viscoſo, neceſſariò debent comprimere nervos ſibi ſubjectos, hinc in illos Spiritus ferè nulli aut ſaltem craſſi minùsque mobiles veniunt. Quia itaque obſtruitur principium omnium nervorum, & nervi ſunt inſtrumenta motuum ſenſuumque, ſtipitis inſtat corruit tota machina ſuperſtite tantum reſpiratione, (quia ſcilicet cordis functiones nondum ceſſant), ſed ea difficili & ſtertorosâ, quoniam bronchiæ pulmonum à craſſis Spiritibus paucisque moventur. Cumque tales ægri alto quaſi ſopore obruti jaceant, cum relaxatione musculorum, cœterisque dictis ſymptomatibus, *Apoplexia* decumbere feruntur. Si verò in plethorico corpore vigeat adhuc humorum circulatio, accedatque impetus quicuncque ad ferociorem motum liquida ſtimulans, vaſa cerebri propter ſuam teneritudinem hanc preſſionem ſuſtinere nequeunt, ſed medium crepant, unde liquidum extravaſatum nervorum orificia præcludit, & idem morbus oritur ſed à diverſa cauſa.

 XLV. Quæ-

XV.

Quæcumque cauſæ arterias cerebri adeò implent liquidis ut plus ſolito intumeſcant, hincque nervorum ſitus mutetur, ut Spiritus animales motu rectilineo progredi nequeant, ſed extrorſum flectantur. Aut quæcuncque cauſæ ex nimia evacuatione ita diſponunt vaſa ut collabaſcant, hincque pauci generentur Spiritus, & collapſis ſimul nervorum tubulis, Spirituum in illis habitantium ſuccuſſio oriatur & tremulus motus; in nervo auditorio tinnitum & ſibilum efficiunt, in nervo optico hebetudinem viſus & circumgyrationis ſenſum, in ventriculo moleſtam vellicationem & propenſionem ad vomitum; pedes firmo talo inſiſtere nequeunt, & omnia objecta nutare videntur; hæcque omnia ex *Vertigine* produci notum eſt. Quando veró univerſa liquidorum noſtrorum moles acrimoniâ peccat, Spiritus inde ſecernuntur majore niſu, ſubtilitate & mobilitate nervorum villos contrahentes. Aut ſi liquida nimia quantitate ſint evácuata, humido abſumpto partes ſanguinis tenuiores & acriores majori libertate in fibrillas irruunt illaſque pungunt. Hinc contrahitur muſculorum compages, oboriuntur nebulæ, vertigines, obſtupeſcunt ſenſus externi internique, concutitur totum corpus motibus connulſivis violentis, magna humorum rarescentia & ſecretiones violentæ Salivæ, Seminis, urinæ, oriuntur, totusque affectus ſub nomine *Epilepſiæ* venit. Quando liquida in glandulis cutaneis ſtagnant, aut à frigore externè admiſſo, aut à terrore & metu; comprimuntur itidem villi contractiles, & *tremor*, *horror*, *rigor* totum corpus affligunt.

XVI.

Quando liquida machinæ noſtræ lenta ſunt illiſque inhæret acredo quædam, omnium facillimè ſtagnant in extremis Solidorum, marceſcit tunc vis extendens arterias, in extremis non rareſcit ſanguis, unde tranſlucere non poteſt, ſed *pallore* obducit cutem. Sed cordis tamen impetus adhuc viget, & premitur ſanguis à corde in arterias magno impetu, antequam igitur lentor ille diſſolvatur à rapido ſanguine ita ut eodem motu cum reliqua maſſâ per corpus noſtrum vehi queat, magna oritur lucta, & tremula concuſſione afficiuntur nervoſæ partes, hinc *rigor & horror*. Diſſoluto verò jam hoc liquido & cum ſanguine exactè mixto ejus motui ſtimulum addit. Hinc omnia feruntur ſummo impe-

tu,

tur, tenduntur membranoſæ capitis partes & *Cephalalgiam* inducunt, exprimitur ſubtilius humidum remanente coagulo, unde *ſitis*, lingua arida, aliaque ſymptomata, quæ *Febrem* conſtituunt. Febris hæc quando velocem & periculoſum curſum ſervat, *acuta* dicitur. Quando tardo equidem, ſed periculoſu curſu terminatur, (ut in hecticis & putridis intermittentibus) & quando tardus & minus periculoſus ejus eſt inceſſus, *lenta* dicitur. Acuta motum ſemel excitatum uno impetu ad finem perducens, *continua* vocatur. Quæ verò aliquando deponit paroxiſmi ſævitiam ita tamen ut eandem denuo excitet nullâ integra remiſſione, *continua remittens* eſt. Intermittens diſpeſcitur in *vernalem* & *autumnalem*, utraque *epidemica* eſſe poterit, hæcque prout 3tio vel 4to die paroxiſmum redintegrat, ita nomen etiam variare ſolet.

XVII.

Ubi jam juxta §. VIII. *Sitis* oritur præternaturalis ex cauſis ibi relatis, niſi illa removeatur, cruditates & indigeſtiones ventriculi augebit. Tollenda itaque eſt his indicationibus: I. Multo humido laxandæ ſunt criſpatæ Salivalium fibræ. II. Blandis ſalibus tum nitroſis tum acidis viſcidum tollendum & Salivalium glandulæ ad ſecretionem naturalem ſtimulandæ. Decocta itaque C. C. hordei, paſſularum conducunt, quibus inſtillari poſſunt ſuccus citri, ſuccus cydoniorum &c. Et videtur idem ſpectaſſe *Galenus*, *meth: med: c: 9.* quando balneum commendat ſiticuloſis tanquam præſtantiſſimum remedium, hinc enim evenit ut à vaporibus balnei totum corpus humectetur, laxenturque exſiccatæ & aridæ glandulæ. Quando autem *concoctio* læſa eſt in ventriculo à magna pituitæ Saburra, metus eſt ne latiùs ſerpat morbus & chylo ſanguinique vitium imprimat, ergò neceſſe eſt ut: I. evacuetur moles ſaburræ; II. ut reliquiæ ejus attenuentur, fluidioresque reddantur, III. ut ſtimuletur ventriculus ad majorem contractionem. Hinc enim viſcido lateribus ventriculo prius impacto & nunc evacuato, tangere ſe ventriculi ſuperficies internæ, ſeque invicem blandè vellicare poſſunt. Evacuant per *vomitum* medicamenta acriori Stimulo prædita, quæ conſtringendo moleſtè ventriculum, ſuas operationes exſerunt. Sic e. g. tartar: emet: infuſum croc: met: Sapa vomitiva Sylvii in eorum familia ponuntur. Aliquando propter ventriculi debilitatem emetica nulla locum habent, ergò per aliam viam & quidem per alvum expurgetur noxius humor. *Purgantia* ab emeticis non diffe-

differunt niſi quod blandiori Stimulo agant. Sint itaque hoc in caſu purgantia, blanda vi Stimulante operantia, ut fibrillæ inteſtinorum moveantur niſu equidem vividiori, abſque eo tamen ne moleſta vellicatione tormina excitentur. Hinc *Galenus l. 7. c. 4. de ſanit: tuenda* egregiis laudibus commendat pilulas de hiera, & *Riverius pr: l. 9. cap.* 1. dicit: bolum ex thereb: & thab: liberare inteſtina ab omnibus ſordibus. Secundæ & tertiæ indicationi ſatisfaciunt medicamina ventriculum *roborantia*. Per roborantia intelligo, quæcuncque ex Sale quodam fixo aut volatidi ſunt compoſita, ut vegetabilia aromatica, Salia volatilia animalium, Salia fixa mineralium nonnullorum. Hinc *Sydenhamius* tract. *de paſſ: hyſter*: tantopere extollit in omni viſcerum digeſtione læſa elect: ſuum roborans, & ther: andromachi. *Riverius in obſ: ſuis* Sal. abſynt: *Hartmannus* Zedoariæ uſum.

XVIII.

Fames Canina orta ex humoribus acidis & auſteris ſcundum §. VIII. planè contrariis indiget auxiliis. In hoc enim morbo quia natura ipſa per vomitum & ſeceſſum ſufficientem evacuationem molitur, emetica & purgantia omittuntur. Erit itaque neceſſarium, infringere & obtundere ſpicula acidi & auſteri liquidi; hoc verò fieri commodiùs nequit quam ope diluentium, oleoſorum, pinguium, & gelatinoſorum medicaminum; & denique roborantibus ſupra enumeratis & digerentibus utendum erit, ut naturalem ſuam energiam ventriculus recipiat. Hinc proſtant obſervationes multorum practicorum, qui ſolo pane oleo imbuto eoque ſæpius deglutito morbum hunc expulerunt. Alii à theriacâ & ambrâ gryſeâ egregias virtutes viderunt; & *Hippocrates ipſe aph.* 21. *ſect.* 1. laudat vinum meracum copiosè ſumptum, dicitque, id famem potentiſſimè ſolvere. Quomodo tales acres humores in ventriculo hærentes efficiant *ſingultum* & *Cardialgiam*, in autecedentibus itidem explicatum fuit. Modus hos affectus ſanádi hic eſt, I. ſuperfluus & noxius humor ejiciatur, II. ut ſpasmus & dolor leniantur. Ad evacuationem purgantia Aloetica quamplurimum aliquando præſtitiſſe affirmat *Duretus* his verbis: *permulti cum ſingultiendo frangerentur ducta alvo per quinque dies aloeticis, glutinoſis & nigris humoribus ejectis, ſingultiendi finem fecerunt. Platerus* quoque narrat, ſe vidiſſe ſingultum contumaciſſimum ſanatum fuiſſe tandem, vomitorio fortiori chymicè parato. Spasmi verò ipſi & dolores rodentes adimuntur

præ-

prædictis corroborantibus aromaticis, oleoſis calidis. Hiſce enim blandè irritantur fibræ ventriculi ut excutiant quod illis inhærebat & rodebat. Sic *Galenus c: 8. de compoſ: med:* multis prædicat Aſclepiadis remedium, quod ex galanga, ſpica nardi, aloe, opio & maſt: compoſitum erat, dicitque, id ipſum diſcutiendi, evacuandi, & roborandi virtutem habuiſſe. *Foreſtus* gravem ſingultum unico hauſtu decocti ſem: anethi, carvi & fœn: cum papav: albo, ſanavit. Ad dolorem ſedandum, qui ſuperius orificium ventriculi ut plurimum rodit, Foreſtus, Platerus, Luſitanus, aliique uno quaſi ore magnopere laudant *chamameli* decoctum. Forſan quia ſale ſuo volatili aromatico attenuat lentorem, & oleo involvit acrimoniam, villoſque criſpatos laxat.

XIX.

Quando idem humorum lentor aut etiam acidum & auſterum *alvi obſtructionem* producit ſecundum §: IX. eſſet equidem indicatio per purgantia removendi hoc impedimentum. Sed enim obſervationes Practicorum docent, ea aliquando malum ſummopere auxiſſe. In alvo adſtricta fibræ inteſtini recti conſtrictæ ſunt & quaſi rigeſcunt. Purgantia, quia ſtimulando magis coarctant inteſtina, pertinaciorem efficiunt obſtructionem & totum eorum motum periſtalticum invertunt. Nihil itaque melius conducet, quam humectare & relaxare inteſtinum rectum immediatè per injectos clyſteres. Quadrat huc illud *Baglivii:* alvum adſtrictam ſolvi in ſemicupio. Internè multa eâdem operandi virtute prædita uſurpentur, nimirum quæ laxant non quæ ſtimulant inteſtina. *Hippocrates enim de morbis mul:* jubet uvas paſſas & calamintam cum melle & aqua dulci mixtas ejuſmodi affectui applicare. Quando humorum acrimonia alvum ſtimulat ad excretiones præternaturales, (qui morbus *Diarrhæa* vocatur), hæc ſunt *Hippocratis* effata: *Alvi excrementa liquida, quæ in progreſſu morbi contingunt, & ſenſim craſſeſcunt, bona.* Significant enim inteſtinorum robur & elaſticitatem ſenſim augeri, & creſcere. *Fluida alvi excrementa cum dolore, laborioſa & frequenti dejectione, mala.* Hinc enim augurari licet materiam peccantem valde acrem eſſe & rodentem, & ad dyſenteriam ferè vergere morbum. In principio itaque ſtatim medicina huic malo facienda. I. Per excuſſionem ſtimuli. II. Per doloris mitigationem, & inteſtinorum blandam adſtrictonem. Unico ſæpe remedio omnes has abſolvimus indicationes, ſecundum *Baglivii* effatum: *ther: drach: ʒ. vino diſſoluta, ægro-*

to exhibita, ſat celeriter & feliciter alvi fluxum ſiſtunt, ut mirati ſumus in Xenodochio; Medico ſene propinante. Et *Riverius* refert, ſe ope *Salis prunellæ* intra 24. horas diarrhæam ſatis gravem profligaſſe: Conſtat enim hoc ex ſulphure quod infringit acrimoniam, & Nitro, quod anodynum eſt, & refrigerat cum blanda humorum ſolutione. Ubi vero juxt §: IX. *dyſenteria* orta ſit, hæc ſunt *Hippocratis* oracula: *ſi dyſenteriâ detento velut carunculæ dejiciantur, mortiferum.* Denotat enim ulcus profundiùs inflictum eſſe, inteſtini partes abradi & gangrænam imminere. *Podagricis & lienoſis ſuperveniens dyſenteria, bonum. aph: 46: Sect: 6.* Natura enim hîc materiam morbificam evacuat, unde in parte affectâ remittente tenſione & preſſione, ipſe etiam dolor remittit. *Senes & pueri hoc morbo ſæpius pereunt, quàm in media ætate conſtituti: 2: progn:* In pueris enim viſcera nimis mollia ſunt & imbecilla; in ſenibus fibræ ſenſim rigescunt, impetus humorum & Spirituum langueſcit, unde viſceribus tantum non ineſt robur, quâm media ætate degentibus. Poſtulat itaque neceſſitas ut quanto ocyus removeatur acredo illa inteſtina lacerans. Hoc fieri poterit, vel leni *evacuatione* ita, ut hac peractâ vis elaſtica reddatur illis; vel *balſamicis*, infringendo ſcilicet acutam ſpiculorum aciem, unde ſimul vulnus inflictum conſolidatur. Quoad primam intentionem omnes Practici unanimi conſenſu laudant rhab: toſtum, aut infuſ: rhab: Quoad ſecundam, ita loquitur *Baglivius prax: Med: l. 1. p:* 108. *Inveteratis alvi fluxibus, dyſenteriâ, teneſmo, relaxatione ani; excipiatur per inferiora vapor therebintinæ prunis ardentibus injectæ, & ſanabuntur. Hippocr: de victus rat: in morb: ac: ſec:* 4, eisdem intentionibus favere videtur, quando ita loquitur: *Ad inteſtinorum difficultatem*, (de dyſenteria enim loquitur) *fabarum purarum quadrantem & duodecim rubiæ ſurculos tritos coquito & ex pingui aliquo delingendum porrigito;* Rubiæ enim radix pro vulnerario habetur medicamine, & ſimul ſale gaudet aperiente. Fabæ ſunt particulis aquoſis & mucaginoſis præditæ, unde & hodie in internis abſceſſibus à plebejis frefrequenter adhiberi ſolent.

XX.

Humorum acrimonia quando ſumma fibrarum inteſtinalium conſtrictione *dolorem Colicum*, & perſeverante eo per longum tempus, *Iliacam paſſionem* producit, ſecundum §. IX. orietur ex conſtrictione illa inflammatio, inde gangræna, & integra inteſtini mors. Indicatur heic ita-

que

que, humorum preſſionem imminuere per venæſectionem, contractionem fibrarum verò relaxare anodynis, ut redeat priſtinus vigor, & evellere radicem mali aperientibus. Hinc *Baglivius pr. l.* 1. refert, ſe à ſecta vena in colica convulſiva pertinaci, ſtatim remittere dolorem, aliquoties vidiſſe. *Sydenhamius* huic aſſentitur; utiturque hic poſt venæſectionem in Iliaco affectu vivente catulo, quem imponit ægri abdomini, internè aquam menthæ propinans. Sanguis enim animalium conſtat particulis ſalinis volatilibus & oleoſis, quæ dum motu & rarefactione liberantur à craſſioribus, per inſenſilem tranſpirationem avolant. Applicato itaque nobis animale quodam hæ particulæ caloris vehiculo excipiuntur à poris noſtri corporis, ſe inſinuant in obſtructos tubulos illosque reſerant; hinc Medicinæ hujus effectus. Cæteri affectus Th. X. enarrati cum unam eandemque cauſam agnoscant, pituitam ſcilicet aut viscidam aut acrem, iisdem quoque indigent remediis; eo ſemper cum reſpectu ut cuique cauſæ ſuum remedium debeatur, E. G. in *hydrope* propter ſerum extravaſatum evacuationes fortiores inſtituantur, quàm in Cachexia. In *paſſione hyſterica* magis reſpiciendum ad humorem acrem, convulſiones & lypothymias generantem. In *Chloroſi* uterina medicamina eligantur præ illis quæ ſimplici Cachexiæ opponuntnr. Quæ cautela in omni ferè morbo obſervanda.

XXI.

Theſi XI. *Inflammationis* phœnomena explicavimus. Cùmque in hoc morbo hæreant fluida compacta in ſolidis & libertatem affectent, hæc præcipuè indicatio erit: reſtituere fluido motum priſtinum, & nimiam diſtenſionem vaſis adimere. *Venæſectionis* ope liquidi quantitas imminuitur, hac imminuta majus conceditur ſpatium cœtero fluido, liberior preſſio, & minor ſolidorum reſiſtentia. Hinc ita *Baglivius pr. ſua. l.* 1. *Laxitas procuranda eſt in fibrillis ab inflammatione criſpatis, per phlebotomiam, ſi neceſſitas urgeat, etiam repetitam. Sanguinis enim compagem nihil citius magisque laxat quàm phlebotomia.* Eandem intentionem adimplebunt multa quæ ſerum ſanguinis verſus arterias inteſtinales derivant, idque evacuant, ut cremor trt: tamar: uvæ paſſæ &c. ad imitationem *Sydenhamii*, qui in pleuritide, peripneumonia, aliisque inflammationibus ejusmodi catharcticis lenitivis felici cum ſucceſſu uſus eſt. Poſtea *diluentibus*, *aperientibus* & *anodynis* omne negotium abſolvendum. Omnia aquea diluere dicuntur, quatenus earum

particulæ ab invicem recedentes ſe inſinuant intra fluida noſtri corporis, eorum partes divellunt & ſic impediunt ne unanimi vi in ſolida agere poſſint. Aperiunt verò illa omnia quæ ſpiculis ſuis incurrunt in vaſa, illaque blandè ſtimulant ut retropellere debeant liquida compacta, illaque ad motum incitare: Anodyna ſunt quæ laxant fibras, adeoque ad contractionem naturalem, rigiditate amiſſa, præparant. His itaque rite combinatis quomodo ſolvatur tumor inflammatorius, perſpicuum eſt: *Hippocr. l. 3. de morbis* eandem intentionem in oculis habere videtur, quando in phrenitide & pleuritide primis diebus jubet propinare ſorbitiones temperatas ut diluatur materia & agitetur. Tum dauci, Sinapios, rutæque quantitatem aceto dulci & aquæ incoquere & colaturam calidè offerre deſiderat. *Sydenhamus* in phrenitide laudano ſuo liquido prius propinato, decoctum parat ex floribus paralyſeos, colaturæ addendo Syr. de meconio. In pleuritide, aquam pap: rhæad: cum ſale prun: emulſiones & decocta pectoralia ægris ſuis commendat. *Williſius* ex aquis refriger: pulv: margar: & Syrup: ex ſucco citri julapium in uſu habet. *Wilſchmidius* cinnab: ant: adhibet cum ſal: prun: pulv: bezoarc: & camphora.

XXII.

Inflammatio quando ſecundum §. XII. in *ſuppurationem* vertitur, in quacunque corporis parte; (nos enim pulmonum ſuppurationem examinabimus tantùm); hæc *Hippocratis* & *Galeni* ſunt prognoſtica: *Empiici, quibus ob magnam puris copiam totus thorax in reſpiratione attollitur, celerrimè ſuffocantur, Gal: de lo: aff: c. 7. Empyema ſi 40 dierum ſpatio per ſputum non repurgetur, in tabem degenerat, quæ mortem accerſit: Hipp: aph: 15.* Denotat enim, ex pure nimis diu in pulmonibus hærente, eredi tandem ipſam pulmonum ſubſtantiam & gangrænam naſci. *Quicunque ſuppurati uruntur aut ſecantur, ſi pus purum fluxerit & album, evadunt. Si verò ſubcruentum, fœculentum ac fœtidum, pereunt. Aph: 44. ſect: 7.* Pus enim album, ſuppurationem recentem & benignam; cruentum verò ac fœtidum, gangrænam imminentem & maximum putredinis gradum ſignificat. Erit ergò Medici officium in ejuſmodi ſtatu removere purulentam Saniem ex parte affecta, aut ſi removeri nequeat, acrimoniam ejus infringere, dulcemque reddere; deinde abſtergere ulcus, & conſolidare vulnus. Expectorant omnia vegetabilia, quæ oleo gaudent & ſale blando; hinc *Ba-*

glivius

glivius pr. l. 1. dicit, nullum remedium expectorationem egregius promovere quàm oleum lini. *Foreſtus*, *Valeriola*, & *Riverius* teſtantur, ſe multos ejusmodi ægros vidiſſe curatos ſolo Saccharo roſato. Saccharum enim obtundit acrimoniam puris ejusque tenacitatem reſolvit. Roſæ refrigerant & ſimul vulnus conſolidant. *Hartmannus* commendat ant: diaphor: cum conſerva roſar: & balſ: peruv: ad ulceris ſcilicet purificationem & conſolidationem. Sint denique vegetabilia Sale blando fixo & terreis partibus prædita, ex quibus decocta pectoralia & vulneraria parantur, quæ dum meatus fibrillarum conſtringunt, roborant eosdem atque ſic conſolidant.

XXIII.

Cœtera ulcera delineata §. XII. poscunt remediorum primò evacuantium ſubſidia; tum, quæ impetum partium malignarum verſus partes ſanas impediunt, ſtagnantia liquida in motum reducunt; quæ ſolida à putredine roborant ſtimulando vim arteriarum elaſticam, & denique, quæ vires inſtaurant debilitatas. Unicum præſidium in mineralium familia reperitur, quod ſi cum deobſtruentibus aliis combinatur, ſolum videtur debellare poſſe ulcera inveterata; eſtque id *Mercurius*. Aſſumpto enim Mercuriali medicamine, ſanguini impetus major imprimitur, ut humores acres lentosque per obſtructa capillaria protrudat, & vehementius in vaſa inpingat. Hanceque ſuam virtutem exſerit ſola gravitate. Tenuitate verò ſua & ſummâ diviſibilate humores acres & tenaces diſſolvit; ſolida, dura & rigida facta emollit, attenuatque totam ſanguinis maſſam; unde vis cordis & omnium ſolidorum creſcit, creſcit fluidorum quoque preſſio & circulatio. Confirmat hæc omnia ſalivatio, in qua pulſus admodum intenditur, & ſanguis canales impetu quodam diſtendit. Hinc optimè dicit *Riverius prax: l.* 14. *c.* 16. magnæ eſſe efficaciæ Mercurium dulc: in perſanandis ulceribus. *Baglivius* quoque *pr: l.* 1. *de glandul: morbis. Acutiſſima ulcerum Gallicorum ſpicula frangunt debile omnium remediorum rete, franguntur tamen ipſa à forti rete & alcali nobiliſſimi Mercurii.*

XXIV.

Quomodo vaſa perfringantur aliquando ab irruente liquido, & *hæmorrhagiis* variis ſic detur locus, §. XIII. demonſtratum fuit. Erit ergò indi-

indicatio. I. infringere motum & impetum ſanguinis. II. extravaſatum grumum diſſolvere, & III. vulnus conſolidare. Ad infringendum motum liquidorum Venæſectione vix datur auxilium aliquod præſtantius. Hinc *Galenus de ſang: miſſ: c:* 11. refert ſe ſanatas vidiſſe ingentes hæmorrhagias ſola Venæſectione, eâque repetitâ, ſi neceſſitas urgeat. Cœteris indicationibus ſatisfaciunt omnia *adſtrigentia* quæ roborant ſcilicet tonum & vim contractilem vaſculorum. Sic *Freind: in emmenalog:* ad menſium fluxum immodicum ſiſtendum felici cum eventu uſurpavit Cort: granat: & crocum mart: adſtr: Medicamina etiam quæ ſanguinem incraſſant & vaſis dehiscentibus quaſi gluten aliquod affingunt, egregias habent vires ad ſiſtendas hæmorrhagias, quemadmodum *balſamica* omnia. Item, quæ involvunt & incraſſant ſimul: ut *paregorica à Sydenhamio* uſurpata, & oleoſa. Ab hiſce enim omnibus extenduntur villi criſpati & elongantur, nutriuntur à novo irruente liquido, accreſcunt & extremis tubulis tandem exſiccatis, cicatrix oritur.

XXV.

Lentor humorum quando orificiis nervorum incumbit, producit *Apoplexiam* ſecundum §. XIII. Hic itaque lentor removendus evacuatione; & nervoſum genus ſtimulandum, ſuccutiendum. *Purgantia* fortiora & *emetica* non evacuant tantum, ſed etiam irritant nervoſum genus valida vi, unde illis in priſtino elatere reſtitutis vaſa ſanguifera, lymphatica, glandulæque roborantur, ut muneribus ſuis ritè fungi queant. Unde *Baglivius praxi med: p: l.* 11. refert, multos reſtitui apoplecticos ab emetico ſtatim in initio, præſcripto: dicitque ei in uſu eſſe pulv: Cornachini & infuſ: Croci met: Incidunt pituitam omnia Salina fixa; ſanguinis motui, ſpirituumque ſecretioni admodum auxiliantur ſales volatiles alcalini; penetrant enim ad intimos poros, humores fortiter agunt, & omnia impedimenta eludentes ubique ſibi viam aperiunt. Idem ſentiendum de oleis deſt: Hinc *Riverius* nobiliſſimum elæoſaccharum ex oleo lavend: ſuccini, cinnam: & carioph: Apoplecticis propinare jubet. *Dolæus* efficaciſſimam ſolet componere mixturam ex aqua epil: Langii, ceraſ: nigr: & lil: conv: cum ſpir: lil: convall: & Syr: fl: tunicæ.

XXVII. Om-

XXVI.

Omnia liquida machinæ humanæ tantâ aliquando acredine ſunt infecta ut *Epilepſiam* generent juxta §: XIV. Ad demulcendam itaque hanc acrimoniam rodentem genus nervoſum, diluentibus, terreis, diſcutientibus utendum. Criſpata fibrarum ſeries laxanda anodynis & demulcentibus. Hinc *Baglivius* tria eſſe præſtantiora medicamina in Eplepſia, dicit; cinnab: ſcilicet nativam, viſcus quercinum & ung: alcis. Cinnab: nativa quia ſulphure conſtat & Mercurio, involvit & infringit aculeos acrium, & ſimul penetrat per intimos tubulos, eoſque reſerat. Ungulæ alcis Sale quodam volatili gaudent, ſed quod terreis firmiter adhæret; hinc blandè aperit & demulcet. Viscus quercinum ex meris terreis, adeoque acrimoniam dulcificantibus partibus eſt compoſitum. Idem ille, ut & *Riverius* pulv: de gutteta pro ſpecifico antiepileptico habent; ſed & hic pulvis ex terreis eſt conflatus adjectâ paucâ Moſchi quantitate.

XXVII.

Febres, quia ex lentore & acrimonia humorum ſtagnantium in extremis, generantur, iiſdem profugantur medicaminibus. Id tantum obſervandum in earum cura, ut pro varia maſſæ ſanguineæ exagitatione eligantur remedia appropriata. Aliquando diluentibus, aliquando ſtimulantibus & diaphoreticis, aut anodynis etiam pro varia occaſione pugnandum ſit.

F I N I S.

Hono-

Honori & meritis generoſiſſimi ac eruditiſſimi Juvenis.

FREMAUT,

Cum poſt tot exantlatos labores doctoris Medicinæ gradum obtineret.

Affulſit nunc læta dies, qua Carmine laudes
Poſſumus egregias condecorare tuas.
Magna paras, præclara paras defendere; vinces
Ingenii ſolida dexteritare tui.
Defendant alii ſedes, & fortia cernant
Prælia, tu Medici natus ad arma fori:
Felix auſpicium tantos perferre labores
Hoc Opus eſt; parvis invigilaſſe parum.
Conſcendes cathedram magna cum laude, ſtupeſcet
Tota cohors linguæ verba diſerta tuæ.
Sit via difficilis, ſit & ardua ſemita, quamvis
Quæ fert in templum Diva Minerva tuum.
Hæc te non Juvenis doctiſſime terruit; illud
Calcaſti felix, nilque moratus, iter.
Hoc pede progreſſus medicinæ arcana repandis;
Ut liceat metam tangere propoſitam.
Nec tua decepit te ſpes, nam præmia ſummo
Conſequeris tandem digna labore tuo.
Ergo quisquis erit morbo correptus acerbo,
Ad te confugiat, te duce ſanus erit;
Denique fama memor Lethi quæ nescia, nomen
Æquabit tota poſteritate tuum.

Hoc integerrimo Amico, contubernali ſuo ſuaviſſimo

Amicus litavit

J. NOBEL, Batavo Indus.